



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.**

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè explicantur.

**Gavanti, Bartolommeo**

**Venetiis, 1647**

De Paschate, & eiusdem Octaua. 14.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9521**

noui ignis benedictionem. In alijs Horis ante Missam Fer. 5. & ad Vesperas quascumque accendi debent, non ad Completorium, nisi Sabbati Sancti.

De Paschate, & eiusdem Octaua.  
Cap. XIV.

**M**atutinum habetur, vt apud nos, in Ord. Romano, cum tribus Psalmis, totidem Antiphonis, Lectionibus, sine Hymno; quibus ternarijs significantur opera trium dierum, quæ Christus se promisit facturum in presenti sæculo, *Luca 13.* hoc est, dæmonia eijcere, sanitates perficere, & consummari tertia die: vel significantur Fides, Spes, & Caritas; quæ in hoc mysterio maximè vigent. Hæc Amalar. *lib. 4. cap. 23.* Vel dicamus cum Rupert. *lib. 8. cap. 2.* in nomine S. Trinitatis celebratū esse baptisma; & ideò tres dici Psalmos; tres autem Lectiones, quia adhuc pauci prædicatores erant, inquit idem *lib. 1. cap. 10.* Vel triduanam sepulturam recolimus, ex qua Resurrectio ortum habuit, Duran. *lib. 6. cap. 87.* Certè antiquum esse hunc ritum restatur, & firmavit Decreto Greg. VII. *de consecratione, distinct. 5. In die.*

2 Non dicitur Hymnus, neque ad alias Horas, quia tempus Paschale significat statum Beatorum, quorum Hymnus est, *Alleluia*, Duran. *loco cit.*

3 Antiphonæ ad Laudes habentur in Breuiar. M. S. antiquis. Capitulum non dicitur, neque ad Horas: quia in statu Beatorum non est locus exhortationi, quàm alias diximus contineri in Capitulis. Ex quo consequenter non dicitur Responsorium breue, vt notat Dur. *loco cit.* sunt enim correlatiua in Horis minoribus Capitulum, & breue Responsorium; sicut exhortatio, & opus bonum, quæ in illis significantur, vt docuimus Sect. 5. neque sunt comprehensorum, sed tantum viatorum.

4 Non dicuntur Versus, nisi in Nocturno, ob eandem causam; cum significant excitationem animorum, & conuersionem ad Deum. in Nocturno dicitur;

quia in nocte timor adest, ait Amal. *de ord. Antiph. cap. 52.* & ob facilem noctis somnum cum Versu fugandus est animorum torpor.

5 *Hæc dies*, loco prædictorum dicitur; qui Versus desumptus est è Psalmo, cui Titulus est, *Alleluia*, vt notat Rupert. *lib. 7. cap. 11.* Ordo Romanus eundem Versum habet, & significat lætitiæ magnitudinem; ex Rupert. *lib. 8. c. 12.* & quod in statu Beatorum sibi inuicem gaudent, & gratulantur, Gemma *lib. 3. cap. 128.*

6 Non dicitur ad Primam Symbolum Athanasij; quia in statu Beatorum non est fides, Gemma *loco citato*, qui status representatur in Christi resurrectione.

7 Vesperæ in Ordine Rom. diuidebantur, ita vt duo vltimi Psalmi, *Laudate Pueri*, & *In Exitu*, cantarentur ad Fontes Baptismales, in quibus baptizati facti sunt pueri; & quasi per Mare rubrum transeuntes exierunt de Ægypto. sed vbi non erant Fontes, cantabantur sine diuisione, Duran. *lib. 6. cap. 89.*

8 Feriæ 2. & 3. sunt Festa maiora, quorum meminit Aug. 22. *Ciuit. Dei cap. 8.* & in his, & in sequentibus diebus eadem dicuntur, quæ in die primo; quia, vt aliàs dictum est, octo dies in Octaua vna dies sunt; vnde & dicitur quotidie; *Hæc dies.* Ordo Rom. eundem habet ritum præscribēs Homiliam singulis diebus; quem restituit Pius Quintus addens Homiliam Feriæ tertiæ, in qua paulò ante Pium legebatur Sermo Sancti Augustini; & item Feriæ sextæ, in qua Sermo Sancti Ambrosij legebatur.

De Tempore Paschali. Cap. XV.

**I**N Dominica in Albis resumuntur plures Psalmi & Hymni, ex Ord. Rom. vbi additur etiam causa. Deinde, inquit, in sequenti tempore quasi crescentium arborum frondes multiplicantur Psalmi, & recoluntur mores boni diuersorum operum per plures Psalmos. Idem asserit de nouem Lectionibus in hac Dominica, Gemma *lib. 4. cap. 117.* Ad Primam non dicitur Psalmus, *Confitemini*, licet